

A tis domini nostri IESV Christi inuitantes & exhortantes, quatenus pro pace ecclesie & omnium Christianorum, etiam personaliter: uel si personaliter non possunt, per solennes oratores congruo tempore concilio dicto debeant interesse, ut sic congregata fidelium multitudine copiosa, ea quae in eodem concilio agenda incumbunt, deo autore & adiutore salubriter ordinentur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae ratificationis, approbationis, confirmationis, pronuntiationis & decreti infringere, uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attetare praesumpserit, indignationem omnipotentis dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum eius, se noverit incursum. Datum Laudae, V. Idus Decemb. pontificatus nostri anno quinto.

Subinde cum uenerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae ecclesiae cardinalibus, & nostra curia ad hanc ciuitatem Constantiensem uenimus tempore constituto, & nunc per dei gratiam hic existentes, cum huius sacrae synodi concilio intendimus insistere ad pacem, exaltationem & reformationem ecclesiae, & tranquillitatem populi Christiani: & quia in hac re tam ardua non est propriis uiribus aliquid praesumendum, sed dei adiutorio confidendum, ideo a cultu diuino inchoantes, hoc sacro approbante concilio ordinauimus, quod hac ipsa die specialis missa ad haec constituta diceretur, sicuti per dei gratiam nunc celebrata est, quam etiam missam statuimus in hac & singulis alijs collegiatis ecclesijs secularibus & regularibus huius ciuitatis semel in hebdomada, uidelicet feria quinta, hoc sacro concilio durante, collegialiter celebrari. Et ut eo feruentius huic sacrae celebrationi fideles insistant, quo ampliori gratia munere ferentur se reflectos, omnibus uere poenitentibus & confessis, uidelicet sacerdotibus diuersas missas celebrantibus, pro singulis missis unum annum, interestentibus uero quadraginta dies de iniunctis eis poenitentibus, in domino relaxamus. Ad cuius etiam missae celebrationem exhortamur uenerabiles fratres nostros sanctae Romanae ecclesiae cardinales, necnon patriarchas, archiepiscopos, episcopos, & dilectos filios abbates, ceterosque sacerdotes constitutos, ut & ipsi ad impetrandum praedictum diuinum auxilium, cum deuotione singulis septimanis praedictam missam celebrent semel: quibus celebrantibus, & celebrationi interestentibus, similes indulgentias largimur. Exhortamur etiam in domino omnes & singulos qui Christi nomine gloriantur, ut ad obtinendam optatam consummationem tantae rei, diligenter insistant orationibus, ieiunijs, elemosynis & alijs pijs operibus, ut deus ex nostra & episcoporum humilitate placatus, dignetur felicem exitum huic sacrae congregationi concedere. Praeterea considerantes, quod praecipuum agendum in concilio generali, secundum laudabiles consuetudines antiquorum conciliorum, esse debet de his, quae concernunt catholicam fidem: & attendentes quod talia propter summam arduitatem exigant diligentiam, tempus sufficiens & studium, exhortamur omnes habentes peritiam sacrae litterarum, ut diligenter secum & cum alijs illa cogitent atque tractent, quae eis uidebuntur ad hanc rem utilia & opportuna, & quae primum commode poterit, illa ad nostram & huius sacrae synodi notitiam perducant, ut tempore opportuno possint ea determinari, quae uidebuntur tenenda uel repudianda pro utilitate & incremento ipsius catholicae fidei, & specialiter contingentia circa nonnullos errores, qui a certis temporibus dicuntur in nonnullis partibus pullulasse, & maxime circa illos qui ortum dicitur habuisse a quodam Ioanne dicto Vuicleff. Insuper etiam exhortamur omnes catholicos hic congregatos, & alios ad hanc synodum uenturos, ut uelint diligenter cogitare & profequi ad nos & ad eandem sacram synodum perducere ea, per quae possit etiam & congregatio catholicorum ad debitam reformationem & optatam tranquillitatem, deo iuuante, perducatur. Nostrarum namque intentionis & uoluntatis est, ut omnes hac de causa congregati, cum omnimoda libertate possint dicere, consulere & facere omnia & singula, quae pro praemissis putauerint pertinere. Ut autem notus sit modus, qui in huius sacrae synodi processu seruandus est, tam quo ad ea quae dicenda & determinanda erunt, quam quo ad consensum & gestum & morem & compositionem, pu-